

quuntur fimiles in *Epistolam Petri primam*, II. Aug. finitis *Canicularibus*, item *Scholia in Ecclesiasten*, 3. Novembr. Demum *Didata in Oseam prophetam*, anno 1535. II. Jan. Omnia bonae frugis plena et Veterum Glossis potiora. *Hungarus Sempronienfis* erat *Salzerus* noster, ingenio et industria e paupertate et aliorum Juvenum famulatio eluctatus ad D. *Stephani* Canonatum et omnes honores Academicos, atque tam vividae aetatis, ut post ipsum octuagesimum annum quater *Rectoris* fungeretur *Officio*, annumque demum secundum et nonagesimum, qui erat 1568. supremum haberet. Laudes ejus in *Ederi Catal.* ad an. 1523. in *Scriptt. Univ.* P. III. Sec. III. p. 51. Epitaphium, quod in *Metropolitana* habet, in *Locheri Speculo Acad.* p. 405. leguntur. Ego ipse *Viri memoriam*, uti tot aliorum *Ejus Collegarum*, quantum potui, cum in *Memorab. Bibl. Garell.* tum in *Hist. Typogr. Vienn.* ab oblivione vindicare studui, parum folicitus, quam ab ejus *Posteris*, in quorum gremium nunquam cooptatus fui, gratiam ineam.

CCLXXXIV.

R. 566 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. nunc 53. 8. nitidissime exaratus, ut *Itali Amanuenses*, praecipue *Florentini* callebant, et literis initiorum deauratis et picturatis, quarum causa puerilis fortasse levitas folium primum avulfit, olim fuit *Joh. Fabri Ep. Vien.* Denis *Codd. Theol. V. II. P. I.*

et saltem in calce purpura inscriptus est: *Liber Sancti hylarij de Synodis contra omnes hereses. Potius De Fide Orientalium.* Incipit κεφαλος ab iis verbis: *proxime vobis ex supermensio (Syrmiensi) oppido infidelis fidei impietatem non modo (non) suscepisse, sed nuntiata esse (l. etiam) significatamque dampnasse. Necessarium mihi ac religiosum intellexi ut nunc quasi episcopus episcopis uictum (l. mecum) in christo communicantibus &c.* Vides ἀποργαφον esse mendosi Codicis, aut Amanuensis digitis magis valuisse, quam intelligentia. Ne Titulus quidem ullus errore vacat. Ita ad *Fidem Syrmensem* legas possum pro per *Ofium*, ad *Antiochenam* similiter in *femias* pro per *Encaenias*, ad *Syrmensem* denique alteram *contra fontinum* pro *Photinum*. Extrema sunt: *Omousion græcum est. interpretatio omousion unius substantie et omoeousion. similis substantie. sed per omousion oportet intelligi.* Ast haec, ut recte observant *Editores Mauriani Opp. Hilarii Pictav. Paris. 1693. col. 1206. f.* non nisi adnotatio posterioris cujusdam *Censoris* esse videntur per recentiora *Mss.* didita, vetustioribus ignota.

CCLXXXV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3262 XII. Folior. 181. f. pereleganter exaratus et coloribus illustratus, litera quadra inscribitur: *Incipit Exameron Tractatus Sancti Ambrosij Archi Episcopi De Die Primo Conditionis Mundi.* Ita pro numero